

sit ratio manifestandi ; sed potius aliquid occultum, et occulte procedens atque operans ; ideoque ad rationem sacramenti, quæ est quid exterius et sensibile manifestum, non potest per se pertinere. Causa autem sacramentaliter se habens, et exterius manifesta et facta sensibilis mediante signo, non est extrarationem signi sacramentalis, seu sacramenti, et per se coniungitur cum illo, non perseitate physica, sed perseitate sacramentali, et ex institutione Christi dimanante.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CXXXIII. Sed obicitur primo : Nam istæ duæ rationes, scilicet causandi et significandi, ita se habent in nostris sacramentis, quod ab invicem separari possunt : ergo per accidens coniunguntur. Consequentia patet, quia si separari possunt, adest et abest una ab alia sine subjecti corruptione, et consequenter accidentaliter se habent, et per accidens coniunguntur. Antecedens vero probatur, quia bene potest Deus facere, quod maneat sacramentum significans et non causans : potest etiam facere quod sit causans et non significans, et alias ex natura sua significatio et causalitas non postulant coniungi, et simul esse : ergo taliter coniunguntur quod ab invicem separari possunt.

CXXXIV. Nec dici potest, quod supposita institutione per se sunt conjuncta, licet si seorsum respiciantur non per se postulent coniungi. Nam duæ formæ, quæ ex se absolute sunt separabiles, etiam si ex aliqua actione aut institutione Dei simul sint in eodem subjecto, non propterea per se coniunguntur ; ut si Deus institueret quod homo albus esset simul musicus, non per

se conveniret album musico, sed per accidens.

CXXXV. Respondetur nihilominus, quod formæ, quæ ex sua propria ratione naturales sunt, quantumvis ex instituto aut extrinseca actione coniungantur, non faciunt unitatem per se, cum naturalis unitas ex naturali formarum convenientia et proportionem pendeat, non ex instituto alieno. Quando autem formæ non sunt naturales, sed artificiales, et ex institutione pendentes, unitasque ex illis resultans artificialis et ex institutione est, non requiritur quod per se uniantur secundum naturam, sed per se secundum institutionem ejus, qui instituit, cum et unitas totius resultantis ex institutione pendens sit. Cætera argumenta quæ tangunt de conjunctione formæ rationis, qualis est significatio, et realis, qualis est causare, quomodo per se uniantur, supra tractata sunt, et quomodo etiam pertineant ad rationem generis et differentiam ; supposita enim institutione non est difficile hæc coniungere, licet secundum naturam suam considerata perseitatem non habeant. Et in hac distinctione stat solutio omnium argumentorum.

CXXXVI. Solum quæres, qua perseitate conveniat sacramentis novæ legis esse causativum gratiæ, primo, an secundo modo. Respondetur distinguendum esse : nam sacramentis novæ legis ut sunt nova, et ut subordinantur institutioni Christi, qua voluit esse sua instrumenta, per se competit primo modo tamquam differentia, quia per hoc essentialiter distinguitur ratio legis novæ a veteri. Si autem considerentur eadem sacramenta novæ legis, non ut subordinantur institutioni illi, qua Christus voluit illa esse sua instrumenta, sed qua voluit præcise esse signa, sic non con-

venit eis primo modo per se, sed quasi reductive, quia competit eis tamquam modus completivus essentialiter, et quid præsuppositum essentialiter ad significationem quam illis dedit Christus Dominus, scilicet, ut significarent gratiam dandam ab ipsis sacramentis. Absolute autem et sine distinctione sacramentis novæ legis non convenit ut differentia essentialis esse causativum, quia ly sacramentum semper supponit pro sacramento, ut subordinatur præcise institutioni signi, non ut subordinatur institutioni instrumenti.

## ARTICULUS II.

*Utrum omne signum rei sacræ sit sacramentum ?*

I. In hoc articulo pergit D. Thomas ad explicandam differentiam sacramenti in communi, sicut in præcedenti genus ejus inquiserat. Et cum determinasset quod genus sacramenti est signum, et constet omne signum essentialiter respicere rem signatam, et ab illa accipere formalem sui rationem, necessario ex parte rei significatæ investiganda erat a S. Thoma differentia essentialis sacramenti, cum signum non accipiat differentiam talis aut talis signi, nisi ex parte significati. Et quia de genere sacramenti, ut dictum est, jam egerat in præcedenti articulo, ideo in præsentem non solum differentiam quærit, sed de integra diffinitione sacramenti ; et ideo titulum proponit, an omne signum rei sacræ sacramentum sit, quasi dicat, an ex ratione signi, quam dixi esse genus, et ratione seu habitu ad rem sacram prout sanctificat nos, ut ex genere et differentia, consurgat definitio sacramenti.

II. Conclusio est affirmativa, quam probat D. Thomas in argumento Sed contra, et explicat in corpore. In argumento Sed contra probat, quia a multis traditur hæc definitio sacramenti : Quod sit signum rei sacræ, et elicitur ex S. Augustino : omnis autem definitio convertitur cum definito, et convenit omni definito : ergo si definitum per istam definitionem est sacramentum, omne quod fuerit signum rei sacræ, est sacramentum. In corpore explicat eandem conclusionem ( cum enim sit definitio, probatione non eget, sed explicatione) non ita curando de illis duabus vocibus signum, et ly rei sacræ, quia supponit ista duo competere essentialiter sacramento, prout nunc de sacramentis loquimur ; sed explicat quomodo intelligendum sit, quod sit signum rei sacræ, ut vere constituat sacramentum, scilicet, ut sit tali modo signum rei sacræ, ut significet illam quatenus sanctificat nos. Quod enim sacramentum dicat habitudinem ad rem sacram, et dixerat 1-2, quæst. ci, art. iv, et ci, art. ix, et præsupponit ex ipsa ratione sacramenti, etiam analogice sumpti, prout dixerat præcedenti articulo. Sacramentum enim est analogum quoddam, quod de principali significato dicit sacrum secretum, et occultam sanctitatem : de minus principali autem dicit signum aut causam habitudinem habentem ad rem sacram.

III. Cum ergo præcedenti articulo analogata ista distinguens S. Thomas dixerit se loqui de analogato quod est signum, plane probatum mansit, et quod esset signum, et quod esset rei sacræ, alias si rei sacræ non esset, neque analogatum esset de ly sacramentum.

IV. Restat ergo in hoc articulo explicare, ad definitionem integram et sacramenti differentiam attin-

gendam, formalitatem qua deberet istud signum respicere rem sacram, ut per hoc differret ab aliis signis rei sacræ, quæ non sunt sacramenta. Dicit ergo, quod illud proprie est sacramentum, ut in præsentis de sacramentis agimus: Quod est signum rei sacræ, non quomodo-cumque, sed ut sanctificans nos. Et probat hoc, quia signa proprie dantur hominibus, quia ipsis proprium est per nota ad ignota pervenire, quod facit signum. Et ideo (infert D. Thomas) quasi dicat: « Ex hoc sequitur, quod sacramentum, quod est signum rei sacræ, ut præcedenti articulo dictum est, debet esse alicujus rei sacræ ad homines pertinentis, quia scilicet in ejus cognitionem sacramentaliter homo ducitur, et secundum cæremoniam ac protestationem externam. »

V. Res autem sacra, seu sancta ad hominem non pertinet, nisi prout illum sanctificat; igitur sacramentum, ut de illo in præsentis loquimur, est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines.

VI. Quod si dicas, illam probationem non videri validam, signum proprie datur hominibus, ergo debet esse rei pertinentis ad homines; nisi enim hæc probatio præsupponat tale signum esse practicum, nihil probat; cum multa signa dantur ad cognoscendum res, quæ ad homines non pertinent; præsupponere autem sacramentum esse signum practicum, est supponere quod probandum erat

VII. Respondetur non negare D. Thomam, aliqua signa significare rem sacram, prout ad hominem non pertinet, ut patet solutione ad primum et secundum, sed quod vult ostendere, est quod inter signa omnia rei sacræ, quæ dantur homini, illa proprie erunt sacramenta, quæ dantur de re sacra prout ad ipsum hominem pertinet; ista enim

proprie homini erunt sacramenta, quia sunt signa hominis proprie, non solum ex parte signi, quia scilicet homo eis utitur; sed ex parte rei significatæ, quia ad hominem pertinet.

VIII. Dupliciter enim signum pertinet ad hominem, et est ei proprium, uno modo, quia illo utitur, et ex illo elicit cognitionem, et sic mediante cognitione facit significatum ad se pertinere, et esse sibi proprium, quia sibi cognitum: alio modo signum proprie datur homini, et proprie pertinet ad hominem, quia res signata fit propria ipsi homini, et ei accommodatur, et ut sic significatur a signo. Et hoc secundo modo intelligit D. Thomas, quod si hominibus proprie dantur signa, illud proprie erit sacramentum respectu hominis, quod rem significatam habuerit appropriatam pertinentem ad ipsum hominem; tale enim erit signum commune omnibus. Præsertim, quia sanctus doctor hic non loquitur de signis rei sacræ quomodocumque, sed de signis, quæ et ipsa sacra sunt in se, et cæremonia religiosæ et sacræ ut docuerat 1-2, quæst. ci, art. iv, et quæst. cii, art. v; talia autem signa sacra ex parte ipsorum signorum debent esse de re pertinente ad ipsum hominem, alias enim frustra darentur ipsi cæremonia sacræ.

IX. Tunc enim currit ratio S. Thomæ, quod si hominibus proprie dantur signa etiam religiosa et sacra, illa inter omnia signa rei sacræ dicentur sacramenta, quæ propria sunt homini, non solum ut signa, sed etiam ut sacra; talia enim proprie dantur homini. Quæ autem signa sunt propria homini, etiam ut sacra, oportet quod significant aliquid sacrum pertinens ad hominem; nec enim homini sacra sunt, nisi quia rem sacram, quam significant, ut ad hominem pertinentem,

in ratione sacri significant, et consequenter quæ sacrant hominem.

#### DUBIUM PRIMUM.

AN HÆC DEFINITIO SIT EXACTA ET QUIDDITATIVA.

*Conclusio est affirmativa.*

X. Varias esse sacramenti definitiones testatur S. Thomas in iv, dist. i, quæst. i, art. i, dum per quinque quæstiunculas quinque explicat definitiones sacramenti. Ex illis omnibus tamen hic in tertia parte, ubi non commentatoris, sed magistri vice fungitur, eligit hanc, quæ communior est, et D. Augustini, et ideo in catechesi Pii V tamquam omnibus compendiosior et planior approbatur; quod et indicavit Concilium Tridentinum, sess. xiii, cap. iii, dum inquit: « Commune hoc esse eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem, » unde hoc ipso quod non posuit aliquid amplius esse commune eucharistiæ cum cæteris sacramentis, plane censuit hoc omnibus esse commune, tamquam sufficientem definitionem sacramentorum in communi.

XI. Ratio autem hujus, quod sit exacta definitio, ex duobus accipi potest. Primum est, quia omnes conditiones, et ea quæ ad sacramentum concurrunt et requiruntur, in his particulis continentur; et ita ex hac definitione omnes difficultates solvuntur, quod esse signum optimæ definitionis Aristoteles asserit iv physicorum, textu xxxi. Secundum est, quia traditur per genus et differentiam, ultra quæ nihil amplius requiritur ad constituendam essentiam rei quæ defini-

tur, et consequenter hinc ostenditur esse quidditativam definitionem.

XII. Primum patet, quia sex conditiones requiruntur ad rationem sacramenti. Prima, quod signum sacramentale sit sensibile; secunda, quod sit ad placitum; tertia, quod habeat significationem occultam; quarta, quod sit cæremonia religiosa, et in divinum cultum ordinata; quinta, quod sit signum permanens in tali religione; sexta, quod sit signum practicum. Hæ omnes conditiones in prædicta definitione continentur.

XIII. Prima in eo quod dicitur signum; cum enim loquamur de sacramentis traditis hominibus, oportet quod intelligatur signum humano modo datum, et convenienti ad naturam humanam, quæ per sensibilia ducitur ad spiritualia, et ita signum humano modo datum, sensibile est. Secunda conditio continetur in ly rei sacræ; constat enim quod res corporalis, qualis est sacramentum, non potest ex natura sua habere vim ad designandam rem sacram spiritualement, præsertim sacramentali et practico modo, et sic oportet quod sit ex placito instituentis. Tertia conditio etiam continetur in ly rei sacræ; nam res corporea et sensibilis, præsertim ubi non solum verba, sed res includuntur, non potest perfecte exprimere et repræsentare rem spiritualement, cum non habeat proportionem perfectam et univocam physice cum illa: ergo debet repræsentatio illa manere obscura et occulta; præsertim, quia a causa occulta sunt instituta hæc signa, id est, a Deo; et ad rem occultam signandam, scilicet gratiam.

XIV. Quarta conditio elicitur et continetur in duabus illis partibus, scilicet, rei sacræ prout sanctificantis nos; nam si est signum rei

sacræ prout nos sanctificat, oportet quod tale signum religiose nobis proponatur et applicetur, si quidem per illud sanctificamur Deo, et sic ad cultum Dei ordinatur, quod et constat ex D. Thoma 1-2, quæst. ci, art. iv. Quinta conditio ex eisdem particulis constat; si enim est signum rei sacræ sanctificantis nos, cum sanctificatio nostra debeat esse necessario requisita et permanens in religione quam profitemur, quamdiu talis religio durat, oportet etiam quod durent illa signa, quibus nobis applicatur sanctificatio in tali religione, et protestatio illius. Sexta conditio continetur in ultima particula, quia si significat rem sacram prout sanctificat nos, finis ejus est sanctificatio nostra, et non cognitio rei sacræ in se; et ideo practice ad illum se habet, et non speculative.

XV. Secundum, scilicet quod tradatur in hac definitione genus et differentia sacramenti, probatur, nam esse signum est prædicatum genericum sacramenti, si quidem est commune et universale sacramento et non sacramento, et est ei essentielle: ergo habet omnes conditiones generis. Est commune sacramento et non sacramento, ut patet in signis, quæ non sunt sacramenta: est essentielle, quia ut ostendit S. Thomas præcedenti articulo ex tribus analogatis, quæ sub nomine sacramenti continentur, id de quo in præsentibus loquimur, est quod habet habitudinem signi ad rem sacram occultam: ergo huic analogato essentielle est esse signum: non est transcendente, quia ratio signi continetur sub relatione; ratio autem non est transcendente prædicatum: ergo multo minus ratio signi.

XVI. Similiter traditur per differentiam essentialem, nam essentialis et constitutiva differentia si-

gni, est formalis ratio, qua respicit significatum determinatum. In præsentibus autem et ponitur determinatum significatum, scilicet res sacra nos sanctificans, et formalis ratio respiciendi, scilicet prout sanctificat nos, ubi reduplicatur finis talis signi, ex quo constituitur in ratione signi practici, per quod differt a reliquis signis, quæ non diriguntur practice ad sanctificandum nos; ergo datur per genus et differentiam.

XVII. Quod vero non sint istæ particulæ aliquid positum loco generis et differentie, sed verum genus et differentia patet, quia quando accidens in abstracto definitur eisdem particulis eodem loco positus, sicut quando definitur in concreto, solumque variantur nomina in concreto et in abstracto, talis definitio data in concreto eodem modo est essentialis sicut data in abstracto, ut patet quando dico: Quod album est coloratum disgregans visum, definitio est essentialis per proprium genus, etc. quia posita albedine in abstracto, per proprium genus et differentiam definitur: Quod sit color disgregativus visus.

XVIII. E contra vero, qui definit in concreto solum, quod est nasus curvus, ponit ly nasum loco generis, et non pro proprio genere, quia in abstracto dicitur curvitas nasi, ubi mutatur ratio generica. In præsentibus autem si ratio sacramenti definiretur in abstracto, diceretur quod est significatio practica rei sacræ, ergo in concreto per proprium genus definitur dicendo: Quod est signum rei sacræ practicum, seu in quantum sanctificat nos. Et ita non definitur hic sacramentum per subjectum, quia ly signum non est subjectum sacramenti; et sic non definitur per aliquid quod ponatur loco generis, sed per ipsum genus.

XIX. Ex his autem plura excluduntur a ratione sacramenti, quæ videntur esse signa rei sacræ. Omnia enim verba sacra, et imagines sacræ excluduntur; tum, quia sunt signa speculative, et non practica; tum, quia non habent significationem occultam; tum, quia non sunt cæremoniæ religiosæ. Et eisdem rationibus excluditur transitus per mare Rubrum, petra fundens aquas, serpens æneus, verba Christi Domini dicentis: *Remittuntur tibi, etc.* sacramentalia excluduntur, quia non significant rem sacram perfectam sanctificantem, sed solum quamdam dispositionem ad gratiam, aut fervorem gratiæ, quem excitant.

XX. Qua ratione intelligendum est capite Aquam, de consecratione, distinctione III, ubi dicit Alexander papa: « Aquam sale conspersam benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur, nam si cinis vitulæ aspersus populum sanctificabat atque mundabat, magis aqua sale aspersa, divinisque precibus concreta populum sanctificat atque emundat. » Loquitur enim pontifex non de sanctificatione perfecta, quæ fit per gratiæ infusionem, sed de dispositiva, quæ etiam sanctificatio dicitur, quia aliquid inquinamenti tollit. Sicut enim cinis vitulæ non perfectam emundationem causabat, sic nec aqua benedicta; inde enim textit argumentum pontifex. Sacrificium excluditur per illam particulam in quantum nos sanctificat: nam sacrificium in hoc a sacramento distinguitur, teste D. Thoma 1-2, quæst. ci, art. iv, quod sacrificium ordinatur ad exhibendum cultum ipsi Deo in se; sacramentum autem versatur circa cultores disponendos et sanctificandos, ut sint apti ad cultum Dei.

XXI. Nec obstat quod etiam sacrificium sit expiativum et satisfacti-

vum pro pœna debita; non enim hoc habet primo et per se ex ratione sacrificii quod ordinatur semper, et fit in signum servitutis debitæ Deo, sed quasi secundo, quia scilicet offertur aut dirigitur in Deum ad expiandum vel satisfaciendum, aut etiam ad impetrandum, aut in gratiarum actionem, sicut etiam opera virtutis ad satisfaciendum diriguntur. Unde ab intrinseco et quasi ex objecto suo et institutione sua non habet sacrificium disporre cultores, sed veluti ex directione extrinseca. Nostrum autem sacrificium vim satisfactivam habet ex opere operato, scilicet in quantum derivatur, et repræsentat sacrificium Christi, et unum cum illo censetur: et similiter id habet a principali offerente, qui est Christus, non ex objecto et ratione sacrificii.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXII. Objicies: Sacramentum est ens per accidens, cum constet ex pluribus entibus in actu, ergo non debet defini. Probatur antecedens, quia constat ex ente reali et rationis, quæ per se non possunt conjungi, scilicet, ex re sensibili et forma sacramentali. Confirmatur, quia ens rationis non habet quidditatem, et sic non est definibile: sacramentum autem pro formali est ens rationis: ergo non est definibile.

XXIII. Respondetur: Est ens per accidens in genere sacramenti, et signi et artefacti, nego; in genere physico seu entitativo, transeat; et sic constat ex pluribus entibus in actu in genere entis et physico, non in genere sacramenti et signi. Ad probationem similiter: Constat ex ente reali et rationis, quæ non possunt per se conjungi in genere